Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36643
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

vel quando aut ineffabilem naturam dei aut spiritales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate disserimus. Doctrinalis dicitur scientia quae abstractam considerat quantitatem. Abstracta enim quantitas dicitur quam intellectu a materia separantes vel ab aliis accidentibus, ut est par, inpar, vel ab huiuscemodi in sola ratiocinatione tractamus. Cuius species sunt quatuor: arithmetica, geometria, musica, astronomia. Arithmetica est disciplina quantitatis numerabilis secundum se. Geometria est disciplina magnitudinis inmobilis formarum. Musica est disciplina quae de numeris loquitur qui ad aliquid sunt his qui inveniuntur in sonis. Astronomia est disciplina quae cursus celestium siderumque figuras contemplatur omnes et habitudines stellarum circa se et circa terram indagabili ratione percurrit. Porro actualis dicitur quae res positas operationibus suis explicat. Cuius partes sunt tres: moralis, dispensativa, civilis. Moralis dicitur per quam mos vivendi honestus appetitur et instituta ad virtutem tendentia preparantur. Dispensativa dicitur cum domesticarum rerum sapienter ordo disponitur. Civilis dicitur per quam totius civitatis utilitas amministratur.

De ysagogis porphirii.

Post philosophie diffinitiones in quibus generaliter omnia continentur, nunc ysagogas porphirii expectemus. Isagoga quippe grece, latine introductio dicitur, eorum scilicet qui philosophiam incipiunt, continens in se demonstrationem primarum rationum de quibus rebus quid sit quaeque est certa ac substantiali diffinitione declaratur. Nam posito primo genere, deinde species et alia que coniuncta esse possunt subiungimus, ac discretis communibus separamus, tamdiu interponentes differentias quousque ad proprium eius de quo querimus signata eius expressione perveniamus, ut puta: homo est animal rationale mortale terrenum bipes risu capax. Genus animal est dictum est, substantia hominis declarata est. Est enim ad hominem genus animal, sed quia late patebat, adiecta est species: terrenum; iam exclusum est id quod aut aereum aut humidum. Differentia vero ut bipes, quia propter animalia posita sunt que multis pedibus innituntur. Item rationale propter illa que ratione egent. Mortale autem propter id quod angelus est. Postea discretis atque seclusis adiectum est proprium in parte postrema: risu capax; est enim homini solum quod ridet. Sic perfecta est ex omni parte diffinitio ad hominem declarandum. Cuius discipline diffinitionem plenam existimaverunt aristoteles et tullius ex genere et differentiis consistere. Quam postea pleniores in docendo eius perfectam substantialem diffinitionem in quinque partibus veteres in membris suis diviserunt. Quarum prima est de genere, secunda de specie, tertia de differentia, quarta de proprio, quinta de accidente. Genus ut animal. Est enim vocabulum generale et commune omnium animam habentium. Species ut homo. Est enim specialitas qua separatur a ceteris animantibus. Differentia ut rationale, mortale. His enim duobus differt homo a ceteris. Cum enim dicitur rationale, discernitur ab inrationalibus mutisque, que non habent rationem; cum mortale, discernitur ab angelis, qui nesciunt mortem. Proprium ut risibile: homo est enim qui ridet, et hoc preter hominem nulli